DISSERTATIO JURIDICA DE DOTE, QUAM INDULTU NOBILISSIMI JCTORUM ORDINIS...

Johann Hercules, Leonhart Johann Krause, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

14

DISSERTATIONIS

DE DOTE

THESIS I.

QUamvis ſolis animis æſtimetur affectio conjugalis, *l. 4. C. de Donat. inter Vir. & Uxor.* eaq́; omni lucro potior ſit. *l. 2. C. de Inſt. & Subſt.* Non tamen abs re Reipubl intereſſe, ut Dotatæ ſint mulieres, conſtituerunt Romani, *l. 2. de Jur. Dot.* ſcilicet matrimonii oneribus inſerviunt dotes, *arg. l. 12. § oportet. C qui pot. in pignor. l. 26. ff de Jure Dot.* efficiuntq́; ut mulier melius â viro tractetur. *arg. l. fin. C. ad SCt. Vellej.* Quo nomine etiam Concilium Arelatenſe ſtatuit, ut absque Dote nullum conjugium contrahatur. *C. nullum. 30 quæſt. 3.* Filiæq́; Sciponis Curii & Cincinati potius publicis elocatæ ſumptibus, quam ob parentum inopiam manerent indotatæ. Quod & apud Venetos receptum. *vid. Cam. lib. 2. Oper. ſubciſiv. c. 27.* Cæterum cum magna ſit hujus materiæ utilitas, quæ quotidie ſe commendat, in ipſisq́; obtinet rerum argumentis, animum induxi pauca quædam de ea tradere, illaq́;, diſcendi cupiditate, quæ optima vivendi ratio â Scævola laudatur, *l. 20. de fideicom. lib.* Eruditorum exponere cenſuræ. Sit itaque Definitio.

Dos (a) eſt jus in re, (b) ad onera matrimonii (c) commodius ſuſtinenda conſtitutum. (d)

(a) Dotis vocabulum quales admittat ſignificationes abundanter Lexicographi, cæteriq; docent Authores, dum quatenus ad nuptias refertur pro ipſa re dotali in Dotem data accipi oſtendunt, *ex l. 41. ſolut. Matr.* aliquando exiſtimant eam, dotis promisſionem, titulum, cauſam involvere, *ex l. 73. ff. de Jur. Dot. §. 40. de Rer. Div.* denique pro jure in re dotali conſtituto interpretantur, *t. t. ff. & C. de Jur. Dot.* vide *Clariſs. Habn:* in obſervat ad Weſenb. *de J. D. n. 2.* quæ etiam ſignificatio hic obtinet.

(b) *l. 5. de impenſ. in res Dot. fact. l. 31. §. 4. ſolut. Matr. l. 1. § 4. de Dote præleg. l. 54. Jur. Dot.* & quidem *univerſale* [illegible]tùm per *l 1. §. 4. de Dot. præleg.* tùm quod fructus aliæq; accesſiones dotem augeant, minuantq; impenſæ necesſariæ ipſo jure *d. l. 5 de impenſ. in res Dot.* tum quod in dote loco rei pretium ſuccedat. *l. 26. & 54. ff. de Jur. Dot.*

(c) *l. 20. C. de Jur. D. l. 11. de pact. dotal.* Quæ ſatis gravia marito incumbunt, dum primum alere uxorem & educare liberos tenetur, mox ſubminiſtrare ornamenta & mercedes Præceptorũ cæteraq; quæ huc requiruntur. *arg l. 23. §. 2. de aur. & arg. legat. l. 4. ubi pupill. educ. debe. l. 5. §. 12. de agnoſc. & alend. liber.*

THESIS III.

Rectisſimè in profectitiam & Adven-

vẽtitiam dotem dividi poſſe arbitramur, (a) quarum illa à patre tanquam patre, (b) Hæc à quovis extraneo conſtituitur. (c)

(a) *l. unic. §. 1. C. de R. V. A. l. 5. pr. de Jur. Dot. l. 6. C. de pact. convent.* Equidem *Bacbov. ad Treut. II. 7. 1. lit. E.* hanc diviſionem infringere conatur, dum anguſtiorem diviſo exiſtimat, cum dos, quæ ab ipſa uxore datur, nonniſi inconcinnè adventitia dici poſſit. Cæterum vix corruet ita adducta diviſio, cum & talis, quæ â muliere ipſa affertur, ſit adventitia: Habetur enim ea hac in parte pro extranea, *l. unic. §. 13. C. de R. V. A.* & dos, quæ debetur filiæ, ſi voluntate ejus ſit data, advẽtitia expreſsè nominatur. *in l. 5. §. 11. de Jur. Dot.*

(b) *l. 5. §. 11. C. de Dot. promiſſ.* Paternum enim officium eſt dotare filiam, *l. 19. de Rit. Nupt.* pro modo facultatum, *l. 60. de Jur Dot.* niſi ſponſus & gener futurus ſola puella contentus eſſe velit, (cum coactio eo ſolum tendat, ut filia conditionem honeſtè nubendi inveniat, nec admittat in ſe quid libidinoſi, *arg. l. 19. de Rit. Nupt.*) vel ſi filia propria bona habeat, unde ſe ipſa exhibere & dotare commode poſſit. *l fin. C. de Dot. promiſſ.* cum ejusmodi filiam pater nec alere teneatur, *arg. l. 5 §. 7. de agnoſc. & alend. lib.* nec dos debeatur jure actionis ſed officio judicis. *Gail. 2. obſ. 95. n. 1.* Æquitas autem, cui officium judicis innititur, ceſſet, ubi filia ipſa habeat, unde dotem conſtituere poſſit, quemadmodum nec naturalem dotare pater compellitur, *l. 41. §. 11. de Legat. 3. l. 4. C. de Nat. lib.* nec eam, quæ

citra conſenſum ejus, quamvis alias digno nupſit, *arg. §. 12. Inſt. de Nupt.* Maximè ſi intra 25. annum nubat, ſecus ſi poſtea, cum pater nuptias differendo peccet. *Nov. 115. c. 3. v. 11.*

(c) *l. unic. §. 13. C. de R. V. A. l. 35. de Jur. Dot. Ulpian. in fragm. tit. 6.* Extraneorum autem loco habentur, quæ virilem ſexum non aſcendunt: Unde mater filiam dotare non tenetur, *l. 14. C. de Jur. Dot.* niſi ex magna & probabili cauſa, *vid. Tr. 2. 7. 3. lit. O.* vel lege ſpecialiter expreſſa, e. g. ſi ſit hæretica aut Judæa, tunc enim filiam orthodoxam, uti alere ita etiam dotare compellitur. *l. 19. de Hæretb. & Manicb.* Nec avus maternus neptem, neque filius matrem nec frater ſororem ex alio patre natam (conſanguineam enim & Germanam elocare debet, *arg. l. 12. de adminiſtr. tut.*) dotare cogendus eſt. *d. l. 12. de adminiſt. tut.*

THESIS IV.

Dantur iu dotem res omnes, quæ ſunt in commercio, tàm corporales, quàm incorporales, (a) æſtimatæ (b) & inæſtimatæ, (c) tam mobiles quàm immobiles, (d) nec propriæ tantùm, ſed & alienæ, ita ut uſucapiendi conditio in maritum transferatur. (e)

(a) *l. 7. §. 2. l. 54. l. 66. h. t.* incorporales ut nomina *l. 77. ff. eod.* actiones, hæreditates, *l. 13. §. 16. de hered. pet.* uſusfructus, *l. 7. §. 2. l. 17. C. de Jur. Dot.*

(b) *l. 52. ff. de Jur. Dot.* Quod ſi verò hæ in dotem

tem datæ, tunc ſubſequuta traditione plenum dominium ad Maritum tranſit, & niſi convenerit ut ſoluto matrimonio ipſæ reſtituantur, *l. 21. C. d. t.* juſto refuſo pretio eas retinebit. *l. 5. C. d. t.*

(*c*) Sin verò inæſtimatas res in dotem conceſſerit mulier, ſpectabit durante matrimonio ad eam periculum, cæterum ſoluto vinculo, quatenus per rerum naturam poſſunt, reſtitui debent. *vid. l. 9. C. de Pignorat. act. §. 3. Inſt. de Empt. Vendit.*

(*d*) *l. 42. de Jur. Dot. l. 30. C. eod.* Mobiles, ut quæ pondere numero & menſura conſtant, *d. l. 42. d. t.* immobiles, ut domus, lapidicinæ. *Weſenb. in π. ff. de Jur. Dot. n. 3.* Aſt quid dicendum de feudo? Verius aſſerimus dotem in hoc conſtitui poſſe â muliere, modo inæſtimatò detur, & pactum de lucranda dote appoſitum non fuerit *c. Titius 2. Feud. c. 13. F. 1. 2. 7. vid. Bacho. ad Treut. 11. 7. 4. lit. A.* Extraneū v. vel patrem illud dare non poſſe *c. 1. §. donare 2. Feudor. 9.* cum præter maritum Uxori jus in dote ita quæratur. Quæ tamen ſententia limitatione eget. Fallit quippe, ſi ita dos conſtituatur ut maritus commoditatem fructuum usq; ad dotantis mortem percipiat, vel in feudis quæ licite alienantur ſit tributa, *2 Feud. 17. 2. Feud. 20.* aut ſi dominus in dationem conſentiat *2. Feud. 9. c. 1.* Dn. Hahn in not. *ad Weſ. b. t. n. 3. p. m. 174.*

(*e*) *l. 4. ff. pro dot. l. 6. §. 2. ff. d. J. Dot.*

THESIS V.

Conſtituitur (a) dos (b) vel mortis Cauſa, Teſtamento, Codicillis aut mortis

mortis donatione (c) vel inter vivos ſtipulatione (d) & nuda conventione (e.)

(a) Accuratè quidem eſſe diſtinguendum inter dotis promiſſionem conſtitutionem & acquiſitionem tradit Dn. Hahn ad Weſenb. *h.t.n.6.* Cæterum cum hoc vocabulum ſit ambiguum & quandoq; promiſſionem aliquando actualem dationem ſeu traditionem deſignet *Bachov. ad Tr. 2.7.5. lit. a.* ideoque quin hic etiam eandem vim obtinere poſſit minime dubitamus.

(b) Nec refert utrum certa res vel quantitas, an verò indefinite dos promiſſa fuerit: Etenim ſemper ſecundum modum facultatum & conditionem mariti æſtimari debet. *l.60. l.69. §. 4. de Jur. Dot.* nec hunc decipere pareſt, ut quocũq; alio promittente Uxor contra publicam utilitatem maneat indotata. *l. 1. Solut. Matrim.* Mulier tamen hac in re excipitur, cum ejus interſit nullam dare ſed potius res omnes ſibi retinere. *vid. Fachin. 8. controv. 75.* Perez. *ad Cod. de Dotis promiſſ. n. 4* & ſic conciliationem. *l 69 §. 4. de Jur. Dot. cum l. 1. C. de dot. promiſſ.* facile habebimus.

(c) l.48 §.1.h.t. l.4.pr. ubi pupill. educ. l.31. de condit & demonſt.

(d) l.20. h.t, pro qua hodie in uſum venit nuda pollicitatio.

(e) l.6. C.d. Dot. promiſſ. l.1. C. de pact. convent. ineſt autem his modis perpetuò conditio illa, ſi nuptiæ fuerint ſequutæ, *l.21 ff de Jur. Dot.* minus tamen conventio illa contractus habetur ut voluit *Treutl. 2.7.3 g* ſed pactum legitimum *l.6. C. dot. promiſſ. vid. Bachov. ad 1. part. Pand. p.575.*

p.575. Conſtitutioni vero inter vivos pacta quædam adjici ſolent, *l.1.& t t. de pact. Dot,* quæ modo legibus & bonis moribus non repugnent, omnino ſervanda ſunt, *l.10. C. de pact.* ſed ea demum, quæ ipſam dotem ejusq; repetitionem reſpiciunt. Nam quæ de futura ſucceſſione agunt jure noſtro, licet reciproca fuerint, improbantur, *l.5. C. de Pact. Convent.* Moribus tamen & ſtatutis locorum recepta ſunt, ut coram V. teſtibus interpoſita, in vim ultimarum valeant voluntatum ac proinde revocari posſint.. *Ampliſſ. Dn. Ludw. in Diſputat. Mm ſcript. ad ff. diſp. 2 th. 20. & ſeqq.*

THESIS VI.

Abſolutis modis conſtituendi, ordo nos vocat ad effectus, inter quos nobilisſimus exiſtit, quod dote conſtituta inter vivos vel actio ex ſtipulatu *(a)* vel condictio ex lege competat, *(b)* quod etiam poſt l. unic. C. de R. V. A. adhuc obtinere contra Bachovium putamus. *(c)*

(a) l. unic. §. 1, 2, 3. C. de R. V. A. quam Juſtinianus actioni Rei uxoriæ ſubſtituit, *d. l. unic. pr. C. d. t. §. 29. Inſt. de Act.* & hinc bonæ fidei habetur. *l. unic. §. 2. C. de R. V. A.*

(b) Si ſcilicet per pactum facta ſit dotis promisſio *l.6. C. de dot. promiſſ.* nec dubium quin pro pactis legitimis hæc actio competat, quale hoc pactũ omnino habetur.

 (c) l.

(c) *l.6. C. de Dot. promiſſ.* quamquidē per *l. unic. C. R. U. A.* ſublatam exiſtimat Bachov. ad *Treutl. d. l. lit.* g. Aſt, ut pace tanti viri dicamus, falsò, cum & hodie adhuc conſtiſtutionem *d. l 16. C. de dot. promiſſ.* non omnino inutilem eſſe demonſtrare poſſimus, utpote quæ agat de actione marito competente, pro dote absq; ſtipulatione promiſſa, exigenda, cum *d. l. unic. C. de R. U. A.* ad actionem, quæ uxori, pro dote, ſoluto matrimonio repetenda, datur, videatur pertinere. Excell. Dn. Ludwel. *ad Weſenb. de Jur. Dot. n. 4. Peretz in C. de R. V. A. n. 9.*

THESIS VII.

Alter effectus exſerit ſe in Dominio. Poſt traditionem enim factam Dominium rei dotalis maritus conſequitur, *(a)* & fructus pro oneribus matrimonii lucratur *(b)*

(a) §. 41. J. de R D. pr. Inſt quibus alienar licet l. 9 §. 1. de Jure Dot l. 23. C. eod. Quomodo v. hoc intelligendum, non una eſt Doctorum opinio, ſed contrariis quaſi effatis diſceptationem hanc componere ſatagunt Interpretes. Nos relictis aliorum diſtinctionibus, profitemur, apud utrumq; conjugem Dominium dotis eſſe, ſed diſpari reſpectu, penes Maritum quippe in exercitio & operatione exiſtit, cum is conſtante matrimonio ſolus Dominii effectus exercere poſſit. Apud uxorem verò in quiete eſt, quod ejus dominium omnino quidem non ſit exſtinctum, ſed interea quieſcat, & quaſi dormiat, exemplo ejus, cujus ex mate-

materia ædificium in alterius ſolo exſtructum eſt *vid. §.30. J. de R. D. Dn. Luddwel. ad Weſ. b. 1. n. 2.*

(b) *l. 7. pr. ff. de Jur. Dot.*

THESIS VIII.

Hoc verò Dominium adjunctam habet rerum dotalium mobilium alienationem *(a)* immobilium verò neutiquam, *(b)* adeò ut has, ne quidem conſentiente *(c)* muliere diſtrahere vel obligare, niſi certis in caſibus *(d)* maritus poſſit.

(a) Etiamſi pretioſæ illæ res ſint & ſervari poſſint. *l. 3. §. 2. ff de ſuis & legit. l. 3 C de Jur. Dot. pr. J. quibus alien. lic* Neq; enim diſtinctio, quæ & hic inter res, quæ ſervando ſervari poſſunt, & uſu conſumũtur, ab interpretibus affertur, arridet, cum in jure noſtro alienationi rerum dotalium accommodata non legatur, imò l. Jul. expreſſè de fundo loquatur dotali, ut exinde facile conſtet reliquarum rerum cujuscunque generis diſtractionem merito eſſe permiſſam. Junge *Dn Ungep. Exercit. 7. §. 6. in Ajo.*

(b) *pr. J. Quibus alien. lic. l. unic. §. pen. C de R. V. A.*

(c) Ratio, ne propter fragilitatem ſexus, maritorum ſuaſionibus facile obnoxia, mulier ad inopiam deducatur *l. unic. §. 1. 5. C. de R. U. A.* Jure verò Lubecenſi conſenſus uxoris & liberorum communium marito alienandi bona immobilia in dotem data licentiam tribuit,

buit, Magnif. Dn. Mevius in comment. ad Jus Lubec. *tit. 5. art. 8 & 9. n. 15. p. m 379.*

(d) Nempe ſi ipſa poſt biennium ſemel atq; iterum conſenſerit, *Nov. 61. c. 1. §. 2. in f.* vel intervenerit jusjurandum *c. 2. de Jure Jur. in 6to.* aut ſi vertatur ad utilitatem mulieris, *l. fin. ff. de Jur. Dot.* aliisq; caſibus, quos conſultò hic omittimus.

THESIS IX.

Dirempto matrimonio *(a)* dos quoque eſſe deſinit, *(b)* & vel mulieri *(c)* vel patri ejus *(d)* reſtituenda eſt *(e)*

(a) Nec intereſt morte an divortio ſolvatur *l. 240. d. V. S.*

(b) *arg. l. 3. de Jur. dot.* unde etiam regulariter tunc repetitur. Jus enim mariti, quod in dote habuit, ſoluto matrimonio exſpirat, non ſecus atq; ſoluta pecunia â debitore, jus creditoris in pignore finitur, adeoq; qualitate *illa* dotis & pignoris ſublata, res jure repetitur Bachov. ad *Tr. 11. 7. 10. A.*

(c) *l. 2. 3. 4. ff ſol. Matrim. l. unic. §. 1. & 14. C. de R. V. A.* cum vel ipſa eam dedit, vel extraneus ejus nomine, niſi quando aliter convenerit, *l. 31. §. 1. ff. h. t.* aut ipſa culpa ſua divortio præbuerit cauſam. *l. 24. C. de Jur. Dot. l. 8. §. 4. C. de repud.*

(d) Eſt enim liqvidisſimi juris, quod dos profectitia, ſi morte uxoris dirimatur conjugium, ad patrem redeat. *l. unic. § 2. 6. & 13. C. de R. U. A. l. 6. ff. de Jur. Dot.* Aſt quid ſi liberi ſint ſuperſtites? Et idem obtinere putamus, tum propter alias rationes, tũ *per l. 12. de pact.*

dota-

dotalib. & l. 26. §. 2. d. t. ubi per pactum, ut in matrimonio ſine liberis defuncta filia, dos patri reſtituatur hoc actum dicitur, ut liberis ſuperſtitibus dos reſtitueretur: Quod ſane pactum fruſtraneum eſſet, ſi jure communi exſtantibus liberis penes maritum dos remanſiſſet. Jung. *Dn. Ungepaur: Exercit. 7. th. 7. Bachov. ad Tr. 11 7 11 C.* Quamvis contrarium in praxi valere probet, *Rittersh. Nov. p 5. c 4. 1. 10.* & conſuetudine per totam fere Europam receptam dicat *Gipban. in expoſ. l. unic. C. de R. V. A.* Adventitia v. olim mariti lucro cedebat hodie ad mulieris heredes tranſire videtur. *l. unic. 16. C. de R. V. A. Nov. 12. c. 39*

(c) Una cum fructibus pro portione anni in quo diſſolutum matrimonium, *l. 15. l 6. 7. 11. 13. §. fin ff. ſolut. matrim* & reſtitutione damni quod do o culpave mariti circa res dotales fuerit admiſſum, *l pen & ult ff. ſolut. Matr. l. 17. de J. D.* Obſervandum v. quod heic privilegium Competentiæ marito tribuatur. Conventus enim rei uxoriæ nomine, in id tantum condemnandus eſt quod facere poteſt §. *37. Inſt. de act. l. 12. l. 32. l 36. ſolut. matrim.* quod propter reverentiam marito debitam receptum eſſe evincit. *l unic. § 7 C. de R. V. A.*

Thesis X.

Repetitioni verò huic obſtat Exceptio non numeratæ dotis, *(a)* & exceptio impenſarum in res dotales factarum. *(b)*

(a) Evenit enim aliquando, ut flagrantiſſimo Virginis amore accenſus Juvenis ſatis habeat inſtrumen-

tum dotale accipere, quo cavetur dotem numeratam eſſe, cum revera nihil ad eum pervenerit, ſed ſolum illa ſit promiſſa, *l. ult. C. de dot. Caut.* Quod ſi igitur poſt mortem Uxoris, vi ſcripturæ, inſtituant dotis repetionem Ipſius heredes, permiſſum illis objicere prænominatam exceptionem, cum numeratio aliunde probanda, quam ex confeſſione in tali documento expreſſa. *l. 1. C. d. t.*

(*b*) *l. unic. §. 5. C. de R. V. A.* Cæterum cum hæ vel neceſſariæ, vel utiles, vel voluptuariæ ſint, *l. 1. l. 5. pr. & §. ult. l. 7. 9. §. 14. de impenſ. in res dot.* ſciendum, quod neceſſariæ, i. e. quæ neceſſitatem impendendi habent, *l. 79. d. V. S.* ipſam dotem minuant, *l. 5. de impenſ. in res dot. fact.* Utiles, quæ rem meliorem & fructuoſiorem efficiunt. *d. l. 79. de V. S.* peti poſſint, *l. 7. §. 1. d. t. de impenſ. in res Dot. fact.* Voluptuariæ v. quæ ſpeciem tantum exornant, fructum v. non augent, *l. 7. de impenſ. in res dot.* exigi nequeant, licet ex voluntate Uxoris factæ fuerint, ſed maritus habeat tantum jus tollendi, modo prior ſtatus non lædatur deductione operis quod ſpeciem ornavit, *Cl. Dn. Habn. ad Weſ. de impenſ. in res dot. fact. n. 3. p. m. 198.*

Atque hæc ſunt, quæ de Dote pro ingenii tenuitate proferre volui. Nam omnia tradere, & imprimis, quæ ad Illius Privilegia ſpectant, nec anguſtiæ pagellarum admittebant, nec præſens ſtudiorum patiebatur ratio, commodiori itaque tempori ſervanda erunt Diſſertationiq; nunc imponendus.

F I N I S.

SOLI DEO GLORIA.

In

Diſſertationem Doctiſſimam Eximii &
Literatiſſimi

LEONHARD. JOHANNIS
CRAUSII, L.L. Studioſi.

De

JURE DOTIUM,
Publicæ ventilati onipropoſitam

EPIGRAMMA.

*JANE quid inſignis nomen nunc ominis * of-*
fert? — *CRAUSIUS per Anagr. JUS CURAS.
JUS ſedulus CURAS, colis.
Ingenii ſpecimen tam callida pagina legum
de JURE DOTIUM probat.
Perge, piiq; Senis ſuperes qvo Vota PARENTIS
JUS omne CURA gnaviter.
Et Themis alma tuos incinget fronde capillos
*CORASIUS * vocabere.* — CRAUSIUS per Anagr. A in O CORASIUS.

Sic vovebam

Joh. Pomereſchius, J.U D &
Prof. Ord ac p.t. Facult. Jurid.
Decanus.

Ad

AD

Per Eximium & Præſtabilem

Dn. LEONHARD. JOHANNEM CRAUSIUM,

Auditorem ſuum hactenus ſolertisſimum nunc de
Dote publicè diſputantem.

Præſtans Ephebe, Corculum Juventutis
Quam docta Gryphis æſtimat laborantem.
Spondere quid posſum TIBI loco dotis
Dum ſic amore ductus ambis Auguſtam
Themidem? Pecunioſa quæ celebratur
Et Blanda! Certe luculenta promitto
Quævis, favorem ſi ſopiveris nunquam:
Nec impetrandi candidisſimam Sponſam
Ullas, ut hactenus, remiſeris curas.
Confido lætus, exitus vovens fauſtos,
Nam quæſo quis non ſuſtinet laborare
ſi Sponſa præſto Suavis atq; Dotata?

Pro amore L. M. Q.
deproberab.

PRÆSES.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE